PETERS, Guilelmus C.H. '61.
De serpentum familia
uropeltaceorum.

DE SERPENTUM FAMILIA

UROPELTACEORUM.

COMMENTATIO ZOOLOGICA

QUAM PRO LOCO IN FACULTATE PHILOSOPHICA RITE OBTINENDO

SCRIPSIT

GUILELMUS C. H. PETERS

MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE DOCTOR IN UNIVERSITATE FRID. GUIL. BEROLINENSI ZOOLOG. PROFESSOR P. O. DES. MUSEI ZOOLOG. REGII DIRECTOR ORDINUM REGG. AQUILAE RUBRAE IN CLASSE TERTIA C. L. ET LUSITANI MILIT. BEATAE VIRGINIS A CONCEPTIONE EQUES ACADEMIAE REG. SC. BORUSSICAE SOCIUS ORDINARIUS ACADEMIAE REG. SC. SUECICAE HOLM. SOCIUS EXTRANEUS SACRI ROMANI IMPERII ACADEMIAE NATURAE CURIOSORUM SOCIUS ACADEMIAE PONTANIANAE NEAPOLIT. SOCIUS EPISTOL. SOCIETATIS ZOOLOGICAE LONDINENSIS SOCIUS PEREGRINUS SOCIETATUM GEOGR. BEROLINENSIS ET NATUR. AC MED. BEROLINENSIS SOCIUS SOCIETATIS NAT. SCRUT. BEROLINENSIS SODALIS HONORARIUS SOCIETATIS ELLIOTIANAE HIST. NAT. AMERICANAE SODALITII SC. NAT. HAMBURGENSIS SOCIETATIS GEOGR. VINDOBONENSIS SOCIUS EPISTOL.

ACCEDUNT TABULAE LITHOGRAPHICAE DUAE.

BEROLINI
PROSTAT APUD G. REIMER.
MDCCCLXI.

In museo zoologico universitatis nostrae literariae Regio exemplaria serpentis cujusdam duo asservantur, quae antea ad collectionem ichthyologi Blochii pertinebant. A Johnio verbi divini apud ethnicos ministro ex India orientali missa sunt teste Schneidero[1]), qui hanc serpentem descripsit et *Typhlopem oxyrhynchum* nominavit. Hemprichius[2]) deinde, socius infelix Clarissimi Ehrenbergii in itinere Africano, pro eadem serpente novum genus *Rhinophis* constituit, quod herpetologi Fitzingerius[3]) et Waglerus[4]) quidem approbaverunt, sed Schneideri descriptioni succinctae nihil addiderunt.

Joannes Müllerus noster, cujus mortem praematuram summe lugemus, primus, ut notum est, in additamentis ad anatomiam et historiam naturalem amphibiorum[5]) *Rhinophidem* squamis, cranio, dentibus et pelvis defectu a *Typhlope* omnino differre, iisdem vero rebus cum *Uropeltide*, genere serpentum a Cuvierio[6]) *Tortricibus* adjecto, convenire demonstravit. Qua de causa *Rhinophide* et *Uropeltide* generibus familiam novam definivit, quam inter *Typhlopes* et *Tortrices* collocavit et ob peculiarem caudae vestituram scutiformem familiam *Uropeltaceorum* nominavit.

Nihilominus Henricus Schlegelius[7]) structuram omnino diversam non respiciens species huc pertinentes denuo cum *Typhlopibus* conjunxit.

---

[1]) J. G. Schneider, hist. Amphib. II. Jenae. 1801. pag. 341.

[2]) Hemprich, Grundriss d. Naturgeschichte. Berlin. 1820. pag. 119.

[3]) Fitzinger, Neue Classification der Reptilien etc. Wien. 1826. pag. 25.

[4]) J. Wagler, Natürl. System der Amphib. München. 1830. pag. 195.

[5]) Tiedemann u. Treviranus, Zeitschrift für Physiologie. Heidelberg. 1832. IV. p. 248 sqq.

[6]) Règne animal. II. Paris. 1829. pag. 76.

[7]) H. Schlegel, Abbildungen neuer etc. Amphibien etc. 1837 — 1844. pag. 40 sqq. — Handleiding tot de Beoefening der Dierkunde. 1858. II. pag. 33.

A Dumerilio et Bibronio[1]) quidem familia a Müllero definita agnota novisque generibus *Plectruro* et *Coloburo* aucta, sed nomen familiae in *Hyperolissa* mutata est. Praeterea haec animalia a reliquis serpentibus microstomatibus remota inter *Calamarias* et *Plagiodontes* vel inter *Tortricina* et *Calamarias*[2]) posuerunt. Quo modo res non in melius versa esse mihi videtur. Nam, quod in *Coloburo* vestitura caudae scutiformis non ex squama simplice sed ex pluribus squamis conformatur, caussam nullam sufficientem praebet, ut nomen a Müllero propositum rejiciatur, imprimis quum palatum edentulum, ex quo novum Dumerilii nomen derivatur, non his serpentibus peculiare sit, sed etiam apud *Calamarias*[3]) et *Eryces*[4]) observetur.

Grayius[5]) denique reptilia nostra non *Uropeltacea* sed „*Uropeltidae*" vocat, eaque, sicut Fitzingerius et Schlegelius, non serpentibus sed lacertis adnumerat. *Uropeltacea* tamen non ad lacertas sed ad serpentes pertinere, jam satis ex ossium maxillarium mobilitate, ossis hyoidei formatione, humeris, pelvis et vesicae urinariae defectu patet. Praeterea nomina generica *Siluboura* s. *Siloboura*, *Mitylia* s. *Mytilia*, *Morina*, *Crealia*, *Maudia* proposuit, quorum unicum *Siluboura*, in *Silybura* mutanda, conservari potest, quum reliqua ad genera omnibus cognita referenda sint.

Typhlopina et *Uropeltacea* majorem affinitatem inter sese quam cum ullo reliquarum serpentum genere habere, a Müllero optime demonstratum nobis videtur.

Etiamsi hujus familiae specierum ex multis annis notitiam habemus, multum abest, ut omnes accurate descriptae sint. Quod tamen attinet ad investigationes partium internarum anatomicas vix ultra sceletum extensae sunt. Quamobrem additamentum ad reptilia tam insignia melius cognescenda conscribere haud inutile mihi visum est.

---

[1]) Erpétologie générale. VII. Paris. 1854. pag. 144.

[2]) Catalogue méthodique de la collection des reptiles. 1851. pag. 223.

[3]) *Oligodon* Boie.

[4]) *Rhoptrura* Peters, Monatsberichte der k. Akademie der Wissenschaften zu Berlin. 1858. pag. 340. Extremitatum posteriorum rudimentis, osse tympanico perpendiculari, mastoido libero, frontali posteriore ad maxillam superiorem extenso cum *Eryce* convenit. *Rhoptrura Reinhardtii* Schlegel Sp. = *Calabaria fusca* Gray, Proceed. of the Zool. Soc. 1858. pag. 154. Nomen genericum *Calabaria*, a territorio Calabaria Africano derivato secundum regulas nomenclaturae est rejiciendum.

[5]) Catalogue of Lizards. 1845. pag. 140. — Proceedings of the Zoolog. Soc. 1858. p. 260. — In hoc libello aliorum investigationes tanta negligentia tractantur, ut non mireris, auctorem sibi ipsi creationem familiae *Uropeltaceorum* attribuisse.

Partes externae.

Corpus *Uropeltaceorum* cylindricum, ubique aeque crassum, interdum paullo crassius in regione anteriore, undique squamis tenuissimis laevibus versus caudae apicem plus minusve carinatis obtectum.

Caput a corpore crassitudine non distinctum, antice scutellis sive squamis majoribus regularibus imbricatis praeditum, rostro prominente acuto vel conico. Rictus oris angustus inferus. Nares punctiformes in scutello simplice apertae. Oculi minutissimi scutello translucido teguntur. Sulcus gularis desideratur. Cauda brevissima in maribus paulo longior quam in feminis, a corpori reliquo haud distincta, cylindrica vel parum compressa, apice truncato vel conico, scuto simplici duro vel squamis reliquis durioribus singularibus armato. Apertura analis transversa et parum conspicua est.

Squamae corporis formam habent quadratam (tab. I. fig. 1), angulo postico rotundato, angulis lateralibus rectis vel truncatis, magnitudine undique fere aequales vel in linea ventrali paulo majores. Caudae apicis vestitura, ut jam diximus, ab illa corporis mirandum in modum discrepat et secundum genera et species variat.

Sceletus.

Os maxillare superius rectum compressum antice cum osse intermaxillari laxius, postice cum osse transverso sutura squamosa arctius conjunctum; apophysibus duabus, altera superiore cum osse praefrontali, altera interna cum osse palatino articulum constituit. Os palatinum antice latum depressum, processu superiore introrsum curvato cum osse frontali articulum format, postice cum osse pterygoideo interno conjungitur. Os pterygoideum antice bifurcatum ramo interno cum osse palatino, externo cum osse transverso conjunctum, postice per syndesmosin maxillae inferiori annexum est. Unde sequitur, ossium maxillarium et palatinorum mobilitatem eandem quam in ceteris serpentibus esse. Müllerus[1]) quidem ossa palatina immobilia sicut in *Amphisbaenis* esse affirmavit, quod tamen nemo, qui cranium perexiguum ab eo investigatum vidisset, eximio scrutatori exprobaret.

Maxilla inferior, ut in ceteris serpentibus microstomatibus cranio brevior

[1]) l. c. pag. 250.

utrinque ex ossibus quaternis composita est. Nam praeter os dentale et articulare a Dumerilio et Bibronio[1]) memorata invenies operculare et coronoideum, quod sicut in *Pythone* et *Boa* laminam internae processus coronoidei parti adhaeret. Quod haudquaquam parvi aestimandum est, quum praeter *Typhlopes, Tortrices, Pythones, Boas* et *Eryces* omnes serpentes osse coronoidea proprio careant.

Squama temporalis (os mastoideum Cuvierii), linearis et cranio affixa, ut Dumerilius bene observavit, os tympanicum suscipit.

Reliqua cranii ossa sunt intermaxillare, nasalia, conchae, vomeres, frontalia anteriora, frontalia media, parietale, alae temporales (ossa petrosa Cuv.), sphenoideum, occipitalia superius, lateralia et basilare. Ossa frontalia posteriora in *Typhlopinis, Tortricinis, Xenopeltide* comprehenso, et *Uropeltaceis* desunt, quod non tanti momenti est, quam defectus totalis processus postorbitalis, quum etiam in *Trigonocephalo* et *Elape*[2]) desiderentur. Vomeres *Rhinophidis* in basi cranii inter ossa palatina apparent.

Foramen occipitale magnum sicut in omnibus serpentibus osse occipitali superiore excluso solummodo occipitalibus lateralibus et basilari includitur. Adumbratio Mülleri contraria ex speciminis exiguitate explicatur. Attamen singularem colli condyli occipitalis longitudinem optime delineavit.

Quod attinet ad corpora columnae vertebralis, omnibus notum est, *Uropeltacea, Typhlopes* et *Tortrices* processibus spinosis carere. Stannius[3]) tamen in egregio opere de anatomia comparata processus spinosos anteriorum vertebrarum dorsalium in *Tortrice* adesse docuit. De costis nihil notatu dignum esse videtur. Ossa pelvis, quae in *Typhlope* exstant, plane desunt, neque vestigium eorum in specimine *Rhinophidis* permagno videre mihi contigit.

Os hyoideum, quod jam in *Typhlopinis* deteximus[4]), in *Rhinophide oxyrhyncho* et *Blythii* quoque observamus, sed maximopere eo differt, quod multo minus evolutum est. Etenim ad utrumque linguae latus filum osseum capillare breve observatur (tab. I, fig. 1h), quod extremitate posteriore in musculum retractorem linguae (muscul. hyovaginalem Duvernoy)[5]) a costis ortum immergitur.

---

[1]) l. c. pag. 148.

[2]) Cf. Stannius, Handbuch der Zootomie. 2. Aufl. II. pag. 46.

[3]) Ibidem pag. 20.

[4]) Ibid. pag. 17.

[5]) Duvernoy, annales des sciences naturelles. 1832. vol. XXVI. pag. 158.

Organa chylopoëtica.

Glandulae buccales, ut in *Typhlope,* bene evolutae seriem contiguum constituunt. Lingua profunde bifurca in vaginam tota retrahi potest. Dentes pauci, ut Müllerus primum demonstravit, nonnisi in ossibus maxillaribus et mandibularibus reperiuntur, qui in animalibus junioribus acuti recurvati, uncinati, in majoribus (an detriti?) conici apparent. Oesophagus angustissimus sensim in ventriculum ad inferiorem hepatis partem vix dilatatum desinit. Pylorus intra ex plica circulari cognoscitur, sed extus, nulla ratione habita quod pancreate cingitur, ab intestino haud distingui potest. Intestinum tenue ab initio rectum et crassius, deinde flexuosum et angustius, denique iterum rectum et crassius in intestinum crassum breve transit. Coecum multo minus, quam in *Typhlopinis* evolutum sinuositate dextra parva repraesentatur. Hepar dextrum longum unilobulare insolito modo procul a corde remotum est. Vesica fellea in excisione pancreatis densi semilunaris posita. Lien parvus ovalis in posticae hepatis partis regione ventriculo adhaeret.

Organa respirationis.

Ostium laryngis longitudinale nullum vestigium processus epiglottici in nonnullis serpentibus observati praebet. Quum in ceteris serpentibus initium tracheae annulos cartilagineos completos continere observatum sit, trachea *Uropeltaceorum*, ut in *Rhinophide Blythii*, *oxyrhyncho* et *punctato* observavimus, inde ab initio annulis in parte dorsali interruptis composita est et e media et postica cordis parte in pulmonem simplicem, spatium inter cor et hepar occupantem, apice terminali longissimo simplicissimo unicellulari usque ad hepatis medium extensum transit.

Organa circulationis.

Rathkius[1]) in commentatione doctissima de serpentum carotidibus cor *Rhinophidis melanogastris*[2]) post primam tertiam corporis partem positam esse

[1]) Bemerkungen über die Carotiden der Schlangen. Wien. 1856. pag. 22.

[2]) Rathkius serpentem examinatam ad me misit, ex quo vidi, non *Uropeltidem ceylanicam,* ut crediderat, sed *Rhinophidem melanogastrem* esse.

commemoravit. Eandem cordis positionem in *Rhinophide Blythii* observavimus, quo distantia baseos cordis a rostri apice 0^m,068, a caudae apice 0^m,142 aequat. Quod tamen in eodem genere secundum species multo variat, quum in *Rhinophide oxyrhyncho* cordis basin a rostri apice 0^m,108, a caudae apice 0^m,347, in *Rhinophide punctato* a rostro 0^m,082, a caudae apice 0^m,270 distantem inveniamus.

Pericardium, quo cor continetur, tantae tenuitatis est, ut omnes cordis elongati partes externae sine dissectione discerni possint. In *Rhinophide oxyrhyncho* adulto, 0^m,455 longo, cordis totius longitudo 0^m,0165, latitudo 0^m,006, longitudo ventriculi 0^m,0085, atrii sinistri 0^m,008, dextri 0^m,0095 aequat. Ex ventriculo, sicut in omnibus reptilibus, tres trunci arteriosi prodeunt, scilicet praeter arteriam pulmonalem aorta sinistra et dextra.

Arteria pulmonalis retro versa per sulcum longitudinalem atriorum posticum decurrens in pulmonis initium intrat.

Arteria aorta sinistra ramulos non dimittit sed arcum supra atrium sinistrum formans post venam jugularem communem sinistram decurrit, oesophagum amplectitur et denique ramo aortae dextrae communicanti conjuncta aortam descendentem constituit. Sed aorta dextra ab initio truncum brevissimum statim in duos ramos, carotides communes, divisum dimittit. Jam Clarissimus Rathkius in commentatione de serpentum carotidibus supra memorata non omnes, ut multi naturae scrutatores crediderant, sed nonnullas tantum serpentes carotidem communem unicam habere demonstravit. In permultis serpentibus carotides communes duas observavit, quarum dextram in *Tropidonoto natrici*, *Brachyrhyto plumbeo*, *Oxybeli fulgido*, *aeneo*, *Homalopside buccato*, *Bothrope atroci* et *jararaca* vix visibilem, in *Onychocephalo Delalandii*, *Xenopeltide unicolore*, *Chersydro fasciato*, *Pythonibus*, *Naja tripudiante*, *Echidna arietante*, *Crotalis*, *Hydrophide gracili*, *striato* et *Pelamide* minorem, in *Bois* majorem quam sinistram invenit. Sed in *Typhlope reticulato*, *Ilysia scytale*, *Cylindrophide rufo*, *Rhinophide melanogastri*, *Eryce Johnii* et *Hydrophide schistoso* carotides communes, ut in *Sauriis*, utriusque lateris aequales esse detexit.

Ex quo carotidum formationem nec in eodem genere semper eandem esse satis perspicuum est. Quod etiam ex *Rhinophidum* examinatione confirmare possumus, quum in *Rhinophide oxyrhyncho* permagno carotidem dextram sinistra paullo minorem, in *Rhinophide punctato* et *Blythii* carotides utriusque lateris

aequales reperiamus. Quam diversitatem forsan non ex diversa specierum formatione sed ex diversa exemplarium aetate explicare debemus.

Decursus et ramificatio carotidum, a Schlemmio[1]), Duvernoy[2]) et praesertim Rathkio[3]) in aliis serpentibus optime descripta praetereamus.

Glandulae praecordiales, a plurimis autoribus glandulae thyreoideae comparatae, in omnibus *Rhinophidis* speciebus ex lobulis quatuor compositae sunt, quorum medius inferior quidem in *Rhinophide oxyrhyncho* structuram a ceteris diversam habere videtur. Attamen nescio, an revera a ceteris diversa sit, quod in animalibus recens occisis decernendum est.

De truncis venosis (tab. I. fig. 6. 8), quibus sanguis ad cor revertitur, nihil notatu dignum esse videtur.

Organa uropoëtica.

Renes elongatiores et magis lobati quam in *Typhlopinis* apparent. In *Rhinophide oxyrhyncho* adulto, 0^{m},455 longo, ren dexter 0^{m},027, sinister 0^{m},023 longus, ille 0^{m},047, hic 0^{m},037 ab ano remotus est.

Ureteres recti ex parte renum interna orti partem lateralem et posteriorem cloacae perforant, quum vesica urinaria, sicut in omnibus serpentibus, desit.

Organa generationis.

In specimine masculo *Rhinophidis punctati* adhuc multum juvenili, cujus sceletum Ill. Joannes Müllerus examinaverat, testiculos parvos subrotundos in utroque latere ante renes observavimus, ex quibus vasa deferentia subtilissima prodeunt, in latere renum abdominali flexuosa decurrunt et juxta ureteres egrediuntur. Penes elongati apice acuminati apparent.

Ovaria feminarum bene evoluta in *Rhinophidis* speciebus invenimus. In *Rhinophide oxyrhyncho* adulto longitudinem 0^{m},040 habent, dextri parte posteriore sinistri parti anteriori opposita. Oviductum unicum e latere dextro ad sinistrum transiens reperimus. Attamen non dubito, quin rudimentum oviducti dextri in specimine melius conservato animadverti possit, quum etiam

---

[1]) Tiedemann u. Treviranus, Zeitschrift für Physiologie. II. p. 107 sqq.

[2]) Cuvier, Leçons d'anatomie comparée. éd. 2. VI. p. 212.

[3]) l. c. p. 7.

in *Onychocephalo dinga* bipedali praeter oviductum dextrum bene evolutum rudimentum oviducti sinistri observavimus. *Uropeltacea* sunt vivipara, ut in *Rhinophide melanogastri* deteximus.

Habitatio et vivendi ratio.

Omnes species, quarum origo certa est, ex India orientali, imprimis ex Zeylania allatae sunt. *Rhinophis punctatus* quoque, unica species, cujus patria hucusque ignota erat, teste Schlegelio ex Zeylania originem ducit.

Ad instar lumbricorum terrestrium vitam subterraneam degunt et insectis vermibusque vescuntur.

Dispositio generum et specierum systematica.

Familia **Uropeltacea,** J. Müller.

1832. *Uropeltacea,* J. Müller, Tiedemann's Zeitschrift für Physiologie. IV. pag. 248.
1845. *Uropeltidae,* Gray, Catalogue of the specimens of Lizards. pag. 140.
1851. *Hyperolissa (Uperolisses),* Duméril, Catal. méth. de la collect. des Rept. p. 223.

Genus 1. **Rhinophis,** Hemprich.

Species 1. **Rhinophis oxyrhynchus,** Schneider Sp.
2. **Rhinophis punctatus,** J. Müller.
3. **Rhinophis homolepis,** Hemprich.
4. **Rhinophis Philippinus,** Cuvier Sp.
5. **Rhinophis planiceps,** Peters.
6. **Rhinophis Blythii,** Kelaart.
7. **Rhinophis melanogaster,** Gray Sp.

Genus 2. **Uropeltis,** Cuvier.

Species 1. **Uropeltis Philippinus,** Cuvier.

Genus 3. **Silybura,** Gray.

Species 1. **Silybura Ceylanica,** Cuvier Sp.
2. **Silybura Ellioti,** Gray.

Genus 4. **Plectrurus,** Duméril et Bibron.

Species 1. **Plectrurus Perroteti,** Duméril et Bibron.

I. **Rhinophis**, Hemprich.

1801. *Typhlops*, Schneider (ex parte), Historia amphibiorum. II. p. 341.
1803. *Anguis*, Daudin (ex parte), Historia reptilium. VII. p. 314.
1820. *Rhinophis*, Hemprich, Grundriss der Naturgeschichte. p. 119.
1826. *Rhinophis*, Fitzinger, Neue Classification der Reptilien. p. 25.
1827. *Typhlops*, Boie (ex parte), Isis. p. 513.
1829. *Typhlops*, Cuvier (ex parte), Règne animal. II. p. 74.
1830. *Rhinophis*, Wagler, Natürl. System der Amphibien. p. 195.
1832. *Rhinophis*, J. Müller, Treviranus' Zeitschrift für Physiologie. IV. p. 248.
1838. *Pseudotyphlops*, Schlegel (ex parte), Abbildungen neuer oder unvollständig bekannter Amphibien. p. 40.
1845. *Rhinophis*, Gray, Catalogue of the specimens of lizards in the British Museum. p. 141.
1851. *Rhinophis*, Duméril, Catalogue méthodique de la collection des Reptiles etc. p. 223.
1853. *Rhinophis* et *Dapatnaya*, Kelaart, Prodromus Faunae Zeylanicae. II. 1. p. 14 et 16.
1854. *Rhinophis*, Duméril et Bibron, Erpétologie générale. VII. p. 153.
1858. *Mitylia, Mytilia, Morina* et *Crealia*, Gray, Proceedings of the zoological society. XXVI. p. 57; ibid. p. 263. 264.

Cauda cylindrica vel parum compressa, apice scuto magno, mediocri vel parvo involuta. Caput parvum pyramidale vel conicum. Scutella capitis regularia octodecim; praeter rostrale et frontale (verticale) intermedia utrinque nasale, oculare, frontonasale, parietale et supralabialia quaterna. Scutellum rostrale usque ad frontonasalia extensum, scutella nasalia disjuncta, supraorbitalia nulla. Corpus anterius squamarum seriebus, ventrali media comprehensa, viginti, posterius octodecim cingitur. Series squamarum transversales numero variant. Squamae laevissimae, exceptis caudalibus ultimis obsolete carinatis. Os intermaxillare acuminatum. Pars anterior maxillae superioris edentula. Mares cauda longiore, numero squamarum subcaudalium et diversa scuti caudalis quadam formatione a feminis discrepant.

1. **Rhinophis oxyrhynchus.**

Tab. II. Fig. 1.

1801. *Typhlops oxyrynchus*, Schneider, l. c.
1820. *Rhinophis oxyrhynchus*, Hemprich, l. c.
1853. *Dapatnaya Lankadivana*, Kelaart, l. c. pag. 16.
1854. *Rhinophis oxyrhincus*, Duméril et Bibron, Erpétologie générale. VII. p. 154.
1858. *Mytilia (Morina) unimaculata*, Gray, l. c. pag. 264 cum figura (caudae maris adulti).

Rh. supra olivaceo-fuscus, subtus dilutior, squamis singulis in basi obscurioribus; rostro scutoque caudali rufescentibus vel rufis. Caput triëdro-pyramidale. Scutellum

rostrale cultratum, supra arcuato-carinatum, acutum, duplo fere altius quam latius; nasale lanceolatum; frontale aeque latum ac longum; squamae usque ad corporis medium per series longitudinales 19, reliqua parte 17 dispositae, ventrales mediae ceteris vix majores 214 ad 222, subcaudales 6 ad 8. Scutum caudale scabrum, apice obtuso rotundato convexo.

Habitatio: India orientalis; Zeylania.

Haud sine reverentia quadam pretiosa exemplaria originalia iterum examinavi, quae Doct. Schneiderus abhinc annos sexaginta descripsit, et quibus ingeniosissimus Hemprichius primum *Uropeltaceorum* genus condidit.

Descriptio Schneideri pro illo tempore exactissima est: „Rostro corneo „rufo angusto maxilla superior terminatur, cauda scuto corneo ovali rufo. — „Post rostrum labia utrinque teguntur scutis gradatim majoribus quaternis; „juxta et supra simul adsunt quaterna majora paulo, quorum primo insunt „nares apertae, tertio oculi tecti. Inter orbitalia scuta, inter duo frontalia „majora, et alterum utrinque laterale adest triangulare aliquod.[1]) Maxillae su„perioris geminae dentes persentiscere potui, non item inferioris. Corpus ubi„que squamis hexagonis aequalibus tectum, nisi quod ventris ordines fere 222 „paulo majores esse videntur; supra colore fusco obscuriore, infra dilutiore. „Exemplum alterum junioris animalis a Johnio ex India orientali ad Blochium „meum cum altero missum lacertam punctatam L. pictura referebat corporis; „squamis hoc 8 majus 6 anum a cauda extrema distinctum gerebat."

Sed quum ex illo tempore plures species similes observatae sint, descriptionem singularum ampliorem, ut distingui possint, dare necesse est.

Corpus cylindricum, post primam partem nonam paulo crassius, quinquies et tricies fere longius quam crassius. Cauda feminae capite vix longior. Caput parvum triëdro-pyramidale compressum. Nares minimae rotundae vix magis distant ab oculis quam a rostri apice. Labium superius margine inferius amplectitur. Scutellum rostrale dimidium totius capitis longitudinis fere aequat, cultratum, supra arcuato-carinatum, duplo fere altius quam latius, parte inferiore post nares retractum, sulco semicirculari ante oris rictum. Scutellum nasale lanceolatum, triplo fere altius quam longius, angulo acutissimo

[1]) Nescio causam, propter quam Ill. Müllerus, hoc scutum in *Rhinophide oxyrhyncho* duplicem esse, falso contenderit (l. c. pag. 249).

inter rostrale et nasofrontale adscendit; margine inferiore brevissimo cum supralabiali primo, posteriore inferiore cum supralabiali secundo, posteriore superiore cum frontonasali conjungitur. Scutellum frontale triangulare vel triangulatim pentagonale, aeque longum ac latum vel etiam paulo latius quam longius. Frontonasalia duplo altiora quam longiora pone rostrale sese tangunt, angulo obtuso inter supralabiale secundum et tertium descendunt, marginibus vero duobus magnitudine aequalibus cum scutello oculari et frontali conjuncta apparent. Scutellum oculare frontali vix minus quadrangulare; angulo antico acuto inter frontonasale et supralabiale tertium protrahitur; angulo postico rotundato cum parietali et supralabiali quarto, inferiore recto cum supralabialibus tertio et quarto, superiore acuto cum frontali medio et parietali conjungitur. Oculus in inferiore et anteriore ejus parte transspicitur. Parietalia dimidio frontali majora, latiora quam longiora, postice arcuata, margine interno minimo inter sese, infra cum supralabiali quarto, parte anteriore cum oculari et frontali medio conjunguntur. Supralabialia primum et secundum altiora quam longiora; primum superne nasali adjungitur; secundum primo duplo majus inter nasale et nasofrontale adscendit; tertium duplo longius quam altius, longitudine distantiae narium ab oculis aequale. Supralabiale quartum omnium maximum enormiter pentagonale, longitudine tertium aequat, sed duplo altius est. Labium inferius medio scutello mentali, in quovis latere infralabialibus obtegitur, quorum numerus variat, quum in specimine minori utrinque terna, majori sinistra tria, dextra quatuor obvia sint.

Squamae dimidii corporis anterioris per series longitudinales undeviginti, posterioris per series septendecim et in caudae basi per series quindecim vel sedecim dispositae sunt. Squamae ventrales in specimine majori femineo ducentae et viginti duae, minori masculo ducentae et quatuordecim enumerantur. Squamae anales lateroposteriores latae duae mediam sive ventralem ultimam ab ano excludunt. Squamae subcaudales, quod Schneiderus jam notavit, in majori sex, minori octo distinguuntur. Squamae supracaudales, ut in ceteris speciebus, obsolete tri- vel quadricarinatae; posteriores in specimine majori majores, minori ceteris aequales sunt. Scutum caudae terminale ovale conicum, vix longius quam latius, declive, spinulis confertis versus apicem rotundatum evanescentibus asperum.

Dentes maxillares in quovis latere sex, mandibulares speciminis minoris

sex vel septem. Mandibula speciminis majoris laesa est, ex quo intelligitur, Schneiderum dentes mandibulares sentire non potuisse.

Color est supra olivaceo-fuscus, subtus dilutior, squamis singulis in margine pallidioribus. Rostrum et scutum caudale rufa. Regio analis, squamae subcaudales postremae et in specimine majori maculae supracaudales flavidae.

Mensurae.

	Femina.	Mas.	3.		Femina ad.	Mas juv.	3.
Longitudo tota . .	0^{m},455	0^{m},175	0^{m},365	Lat. caudae .	0^{m},011	0^{m},0045	0^{m},00825
Long. capit. scutell.	0^{m},0095	0^{m},0062	0^{m},0085	Long. scuti . .	0^{m},0075	0^{m},0045	0^{m},007
Long. caudae . . .	0^{m},0113	0^{m},0065	0^{m},0125	Lat. scuti . .	0^{m},007	0^{m},0037	0^{m},0068
Lat. corp. maxima	0^{m},013	0^{m},0057	0^{m},01025	Prs. vntr. scuti	0^{m},003	0^{m},001	0^{m},002

Specimen ex Zeylania, quod Cel. Grayius nomine *Mytilia unimaculata* descripsit, cujusque mensuras sub 3. exhibemus, omnino cum nostris convenit. Scutella infralabialia utrinque quaterna. Scutum caudale, sicut in specimine masculo nostro, supra impressiona obsoleta distinctum. Squamae usque ad corporis medium, quod in hac specie notandum est, praeter ventrales per series undeviginti, reliqua parta per series septendecim dispositae sunt; in serie ventrali 218, sub cauda 7 numerantur. Rostrum et scutum caudale rufa, squamae medio viridifuscae, anales flavidae.

2. **Rhinophis punctatus,** J. Müller.

Tab. II. Fig. 3.

1831. *Rhinophis punctata*, J. Müller, l. c. pag. 248 sqq. Tab. XXI. Fig 1—3 (cranium); Tab. XXII. Fig. 1. a. b. c. (caput); d. e. f. (caudae figura mala).
1837. *Pseudotyphlops oxyrhynchus*, H. Schlegel, Abbildungen etc. pag. 43, tab. 12.
1854. *Rhinophis punctatus*, Duméril et Bibron, l. c. VII. pag. 157.
1858. *Rhinophis oxyrhynchus*, H. Schlegel, Handleiding etc. II. pag. 33.

Rh. aurantiacus vel flavidus, squamis singulis macula centrali nigra vel fusca, praeter seriem squamarum omnino flavidarum in quovis latero juxta seriem dorsalem mediam; capite scutoque caudali rufescentibus vel fuscescentibus; cauda lateribus flavida. Caput triëdro-pyramidale, aeque altum ac latum. Scutellum rostrale cultratum, acutum, supra arcuato-carinatum; nasale enormiter quadrangulare, angulo superiore acutissimo; frontonasale duplo altius quam longius; frontale medium triangulare, aeque latum ac longum, parvum, oculari multo minus; oculare angulo superiore

acutissimo; corpus undique aeque crassum, quinquagies circiter longius quam latius. Squamae per series longitudinales 17 dispositae, parte capiti proxima excepta, qua 19 numerantur; ventrales ceteris vix majores; anales triangulares, subcaudales 7 vel 8. Scutum caudale magnum ovale scabrum, apice truncato perparum convexo.

Habitatio: Zeylania teste Schlegelio.

Exemplar masculum adultum ex collectione nobilissimi Comitis a Borcke in museo Regio exstat, quod cum reliquiis exemplaris originalis, quo Ill. Joannis Müllerus speciem novam constituit, diligentissime comparavi. Ex quo mihi est certissimum, illud ad speciem eandem pertinere.

Quum Cel. Henricus Schlegelius speciem hanc elegantissimam nomine *Pseudotyphlopis oxyrhynchi* effigie egregia illustraverit, nec non Dumérilius et Bibronius eandem late descripserint, pauca de ea adjicienda sunt.

Scutella capitis in exemplari nostro cum Dumérilii descriptione bene congruunt, sed infralabialium numerus variat, quum in exemplari Schlegelii teste Dumérilio utrinque bina, in nostro tamen dextra tria, sinistra quatuor numerentur. Pari modo etiam squamae corporis numero valde variant. Etenim Schlegelius, Dumérilius et Bibronius series squamarum transversales 278, subcaudales 7 numerant, quum in exemplari nostro inter parietalia et scutum caudale 235, ventrales 228, et subcaudales, ut in exemplari originali Mülleri, 8 obviae sint. Caudae basis seriebus squamarum longitudinalibus 15 cingitur.

Mensurae.

	Exemplar Musei Leydensis.	Mus. Berol. Mas ad.	Mülleri. Mas juv.		Mus. Berol. Mas ad.	Mülleri. Mas juv.
Long. tota . . .	0m,47 (49)	0m,352	0m,265	Lat. caud. . .	0m,0063	0m,0041
- capitis . . .	0m,008	0m,007	— —	Lg. scuti cd. .	0m,0065	0m,0042
- caudae . . .	0m,013	0m,011	0m,0075	Lat. „ „ .	0m,0048	0m,0032
Lat. corp. . . .	0m,0085	0m,0075	0m,005	Prs. vntr. „ .	0m,0005	0m,0004

Origo exemplarium triorum descriptorum incognita est. Ill. Joannes Müllerus specimen ab eo descriptum ex Guiana (forsan Guinea?) allatum esse affirmat. Sed Clar. Schlegelius nuperrime[1]) contendit, patriam esse Zeylaniam.

[1]) Handleiding etc. pag. 33.

3. **Rhinophis homolepis**, Hemprich.

Tab. II. Fig. 2.

1820. *Rhinophis homolepis*, Hemprich l. c.
1853. *Dapatnaya Trevelyana*, Kelaart, Prodromus Faunae Zeylanicae. II. 1. p. 17.
1858. *Mitylia* (et *Mytilia*) *Gerrardi*, Gray, Proceedings of the London Zoological Society. XXVI. p. 58. p. 263. tab. XIII. (Figura optima.)

Rh. supra ater, marginibus squamarum pallidioribus; lateribus maculis albis triangularibus apicem superne vertentibus; subtus albus, seriebus macularum squamarum centralium atrarum longitudinalibus. Scutellum rostrale triëdro-pyramidale, apice acuto conico, supra carinatum, parum altius quam latius; nasale abnormiter quadrangulare; oculare angulo superiore recto; frontale medium aeque latum ac longum, rhomboidale, angulo antico obtuso. Scutum caudale magnum, ovale, scabrum, in apice conico rotundato carina longitudinali media obsoleta. Squamae ventrales ceteris dimidio latiores 191 vel 196, subcaudales maris 5, feminae 4.

Habitatio: Zeylania.

Specimen hujus serpentis anno 1819 a nobilissimo Comite a Borcke donatum in catalogo Musei zoologici anni 1822 nomine *Typhlops homolepis* enumeratum inveni. Hemprichius anno 1820 l. c. ejusdem mentionem fecit. Nescio, an usquam descripserit, sed eandem usque ad annum 1855 in Museo hoc nomine palam expositam fuisse certissimum est. *Dapatnayam Trevelyanam* non ab eo differre, non solum ex descriptione cognovi, sed etiam specimen ab ipso Kelaartio signatum Cel. Schmardae comitate examinare et comparare mihi licuit. Grayius nuperrime speciem eandem figura optima illustravit, sed, quod dolendum est, ei novum nomen genericum barbarum imposuit.

Corpus cylindricum, prima septima parte paulo crassius, bis et tricies longius quam crassius. Cauda brevior quam in ceteris speciebus, tam brevis, ut in femina superne scuto tota tegatur.

Caput parvum, conicum, rostro triëdro-pyramidale. Nares multo magis distant ab oculis quam a rostri apice. Scutellum rostrale apice conico, supra carinatum; nasale fere quadrangulare, angulo superiore recto vel parum acuto; frontale medium aeque latum ac longum, hexagonale vel rhomboidale, angulo postico acuto, antico perobtuso. Frontonasalia irregulariter hexagonalia,

quarta parte altiora quam longiora. Scutella reliqua vix ab illis primae speciei differunt. Scutellum mentale margine antico arcuatum, angulo postico infralabialibus anterioribus inclusum. Infralabialia, ut in aliis speciebus numero variant, quum in exemplari primo utrinque terna, in altero ad dextram quatuor videamus.

Squamarum series longitudinales in prima septima corporis parte praeter ventrales undeviginti, reliqua parte septendecim numerantur. Caudae basis squamis 15 vel 16 cingitur. Squamae dorsales inter parietalia et scutum caudale in specimine masculo 197, in femina 198, ventrales 193 et 195, subcaudales 5 et 4 numeravi. Scutum caudale ovale, apice conico rotundato carina terminali longitudinali obsoleta. Scutum feminae minus convexum asperitatibus minoribus distinctum.

Pictura et colorum distributio hujus speciei tam peculiares sunt, ut cum ulla alia confundere nequeas. Pictura caudae variat, quo fit, ut ad speciem distinguendam non adhiberi debeat.

Mensurae.

	Mas.	Femina.		Mas.	Femina.
Long. corp. tota . .	0^m,225	0^m,255	Lat. caudae	0^m,007	0^m,007
Long. cap. scutell. .	0^m,0063	0^m,0064	Long. scuti	0^m,006	0^m,006
Long. caudae	0^m,007	0^m,0053	Lat. scuti	0^m,0055	0^m,0055
Lat. corp. maxima .	0^m,008	0^m,008	Pars ventr. scuti .	0^m,0028	0^m,0025

Exemplar masculum ex collectione Borckiana, femineum nuperrime ex Zeylania accepimus.

4. **Rhinophis Philippinus.**

1827. *Typhlops - - - - a.*, Boie, Isis. XX. pag. 513.
1829. *Typhlops Philippinus*, Cuvier, Règne animal. 2. édit. II. pag. 74.
1832. *Rhinophis Philippinus*, J. Müller, Tiedemann's und Treviranus' Zeitschrift für Physiol. IV. pag. 249.
1854. *Rhinophis Philippinus*, Duméril et Bibron, Erpétologie générale. VII. pag. 154. Tab. 59. Fig. 1. (Figura optima.)

Rh. supra fuscus vel nigrofuscus, subtus dilutior, squamis singulis margine pallidioribus, regione anali flavida, rostro scutoque caudali rufescentibus; variat maculis irregularibus flavidis capitis, colli et ventris. Scutellum rostrale brevius,

conicum, supra obsolete carinatum; scutella nasalia quadrangularia; ocularia pentagonalia; frontonasalia vix altiora quam longiora, irregulariter hexagonalia; scutellum frontale medium omnium maximum, dimidio longius quam latius, hexagonale lanceolatum, angulo antico obtuso, postico acutissimo. Squamae ventrales ceteris paulo latiores. Scutum caudale magnum, ovale, scabrum, apice obtuso, (interdum obsolete carinato).

Habitatio: Insulae Philippinae; Zeylania.

Exemplaria duo Zeylanica, alterum a Nietnero nostro missum, alterum Doct. Güntheri, cum Dumériliana exempli ex insulis Philippinis, ut dicunt, allati descriptione diligenter comparavimus, neque alias differentias discernere potuimus, quam quae inter ejusdem speciei exempla observari solitum est. Scutella capitis omnino cum figura et descriptione a Dumérilio traditis conveniunt, neque numero nec forma differunt. Attamen numerus serierum squamarum transversalium, sicut in ceteris speciebus variat. Etenim Dumérilius in specimine Parisiensi, quod ob caudae brevitatem femineum esse suspicor, squamas dorsales 176, ventrales 168, subcaudales 4 numerat. In exemplari nostro masculo inter scutella parietalia et scutum caudale squamae dorsales 172, inde a mentali usque ad analem ventrales 167, ab ano ad scutum caudale subcaudales 6 obviae sunt. Sed in specimine Güntheri ventrales 156, subcaudales 6 numeravimus. In utroque squamae corporis, praeter ventrales medias, in prima septima parte per series longitudinales 19, quod superest, per 17 dispositae sunt et caudae basis squamis 14 vel 15 cingitur.

Mensurae.

	Expl. Paris. Femina?	Expl. Berol. Mas.	Expl. Günth. Mas.
Long. tota . . .	0^m,264	0^m,150	0^m,155
Long. cap. scut.	0^m,007	0^m,005	0^m,005
Long. caud. . .	0^m,007	0^m,0065	0^m,006
Lat. corp. . . .	— —	0^m,005	0^m,005

	Expl. Berol. Mas.	Expl. Günth. Mas.
Lat. caud.	0^m,0048	0^m,005
Long. scuti . . .	0^m,0042	0^m,0045
Lat. scuti	0^m,0037	0^m,004
Lg. prs. ventr. sc.	0^m,0015	0^m,0015

A speciebus prioribus rostro obtusiore obsolete carinato et scutello frontali medio elongato facillime distinguitur.

5. **Rhinophis planiceps,** nova spec.

Tab. I. Fig. 9.

Rhinophis supra fuscus, subtus dilutior, squamis margine sordide ochraceis, fascia anali ochracea, capite olivaceo-fusco, scuto anali rufo-fusco. Caput depressum, latius quam altius. Scutellum rostrale conicum, obsolete carinatum, apice rotundato; frontale medium triangulare, tertia parte latius quam longius. Scutella reliqua ut in specie praecedenti. Scutum caudale magnum, ovale, scabrum, apice obtuso, tuberculo apicali minimo.

Habitatio: Zeylania.

Corpus cylindricum, novies et tricies fere longius quam latius. Cauda (feminae) capite brevior. Caput parvum, triëdro-pyramidale, depressum, quarta parte latius quam altius. Scutella capitis vix a praecedentis diversa, excepto frontali medio multo breviore quam latiore. Scutella infralabialia utrinque numerantur terna. Squamae in corporis parte capiti proxima per series 19, reliqua parte 17 dispositae sunt. Squamae ventrales paulo latiores 176, subcaudales 4. Caudae basis squamis 11 cingitur.

Mensurae.

Long. tota	0^m,230	Long. caudae	0^m,0047	Long. scuti caud.	0^m,0054
Long. cap.	0^m,006	Lat. corp. . .	0^m,006	Lat. scuti caud. .	0^m,005

Exemplum unicum vidi, quod Cel. Guentherus summa liberalitate examinandum et describendum mihi permisit. Caudae brevitate cum *Rhinophide homolepide,* carina scutelli rostralis obsoleta cum *Rh. Philippino* convenit, sed latitudine scutelli frontalis et capite depresso ab omnibus speciebus discrepat.

6. **Rhinophis Blythii,** Kelaart.

1853. *Rhinophis Blythii,* Kelaart, Prodromus Faunae Zeylanicae. II. 1. p. 14.
1858. *Mytilia Templetonii,* Gray, Proceed. of the zool. soc. Lond. XXVI. p. 263. c. fig.

Rh. supra ochraceo-fuscus, squamis basi obsurioribus, subtus pallidior; vitta in utroque colli latere a rostro incipiente angulosa vel fulminata, fasciaque in quovis ani latere silaceis, rostri apice rufo. Caput conicum, rostro conico, haud carinato. Scutellum frontale medium rhomboidale, angulo postico acuto, tertia parte longius quam latius. Scutum caudale subtriangulare, plus minusve scabrum, obtuse carinatum.

Habitatio: Zeylania.

Corpus cylindricum, parte anteriore paulo crassius, tricies longius quam latius. Cauda cylindrica, apice rotundato, in femina capite brevior, in masculo longior. Caput conicum, rostro conico acuto. Scutellum nasale angulo superiore acuto; nasofrontale dimidio altius quam longius; oculare pentagonale, angulo superiore recto, oculo majori prominente. Infralabialia utrinque terna; mentale infralabialibus anticis interpositis a submentali disjunctum. Squamae in prima octava corporis parte per series 19, in reliqua parte 17 dispositae. Squamas ventrales medias ceteris paulo majores a scutello mentali usque ad anum in femina 159, in mare 154, subcaudales in femina 6, in mare 7 numeravimus. Squamae anales latae. Scutum caudale multo minus est quam in ceteris speciebus, subtriangulare, pyramidale, asperitatibus in masculo validioribus armatum.

Mensurae.

	Mas.	Fem. juv.		Mas.	Fem. juv.
Long. tota .	0^m,330	0^m,210	Lat. caudae . . .	0^m,0093	0^m,0045
Long. cap. .	0^m,011	0^m,0065	Long. scuti . . .	0^m,005	0^m,003
Long. caud.	0^m,0115	0^m,0058	Lat. scuti	0^m,004	0^m,0025
Lat. corp. .	0^m,011	0^m,0065	Pars ventr. scuti	0^m,0013	0^m,0008

Specimen femineum Nietnerus ex Zeylania misit, masculum Cel. Güntheri comitate accepimus.

7. Rhinophis melanogaster.

Tab. II. Fig. 4.

1858. *Mytilia (Crealia) melanogaster*, Gray, Proceed. of the zool. society. London. XXVI. p. 264. c fig. (caudae).

1859. *Plectrurus ceylonicus*, Peters, Monatsberichte der K. Akad. der Wissenschaften zu Berlin. 1859. p. 388.

Rh. supra violaceofuscus, flavido adspersus, subtus nigrofuscus vel (*in juniori*) *umbrinus, vitta laterali irregulari flavida. Caput conicum, rostro conico, rotundato, haud carinato. Scutelli rostralis parte posteriore vix ultra nasalia protracta; nasalia quadrangularia, angulo superiore acuto; nasofrontalia inter sese late conjuncta, tertia parte altiora quam longiora; ocularia pentagonalia, quarta parte longiora quam altiora, angulo superiore posteriore obtuso; frontale medium rhomboidale vel lanceolatum, dimidio longius quam latius. Squamae ventrales ceteris vix majores, forma aequales. Cauda conica, apice parum compresso. Scutum caudale ovale, scutello*

frontali vix majus, scabrum, subcompressum, in carinam parvam horizontalem bi- vel trispinosam desinens.

Habitatio: Zeylania.

Ill. Grayius hanc speciem, quam ego ob scuti caudalis exiguitatem nuper ad *Plectrurum* referebam, perspicacitate sua *Rhinophidi* (*Mytiliae*) recte adjunxit. Revera transitum ad *Plectrurum* format, a quo imprimis scutellorum supraorbitalium defectu discrepat, quorum vestigium tamen in incisura marginis posterioris superioris scutelli ocularis invenies. Prima facie a *Rhinophide oxyrhyncho, punctato* cet. valde differt. Vastam tamen illam inter *Rhinophidem oxyrhynchum* et *melanogastrem* discrepantiam evanescere videmus, quum rostrum et caudae scutum ab una ad alteram specierum modo descriptarum gradatim descrescere observamus.

Corpus cylindricum, undique aeque crassum, ter et tricies circiter longius quam latius. Squamae colli per series longitudinales 19, corpore reliquo 17 dispositae. Scutella infralabialia 2, 3 vel 4. Squamae ventrales inter mentalem et anales in femina 166, in masculis 154, subcaudales feminae 5 vel 6, masculorum 9 vel 10 numerantur. Caudae basis squamis 15 vel 16 cingitur. Squamae caudae posteriores, ut in ceteris speciebus, obsolete carinatae sunt.

Gastraeum vel concolor vel maculis sparsis flavidis varium.

In utero feminae foetus bene formatos nigropunctatos inveni, quorum maximus 0^m,065 fere longus est.

Mensurae.

	Fem. grav.	Mas.	Mas.
Long. tota . . .	0^m,262	0^m,230	0^m,193
Long. cap. scut.	0^m,0067	0^m,0064	0^m,006
Long. caud. . .	0^m,005	0^m,0088	0^m,0075
Lat. corp. . . .	0^m,0075	0^m,007	0^m,006
Lat. caud. .	0^m,0052	0^m,004	0^m,005
Long. scuti	0^m,0028	0^m,0022	0^m,0025
Lat. scuti .	0^m,0017	0^m,0013	0^m,0017

Exemplaria quinque hujus speciei examinavi, quae praeter sexus diversitatem omnino inter se conveniunt.

II. **Uropeltis,** Cuvier.

1829. *Uropeltis,* Cuvier (ex parte), Règne animal. II. p. 76.
1830. *Uropeltis*, Wagler (ex parte), Natürl. System der Amphibien. p. 194.

1832. *Uropeltis*, J. Müller (ex parte), l. c. p. 252.
1838. *Pseudotyphlops*, Schlegel (ex parte), Abbildungen neuer etc. Amphibien. p. 44.
1845. *Uropeltis*, Gray, Catalogue of Lizards. p. 141.
1851. *Uropeltis*, Duméril, Catal. méthod. p. 224.
1853. *Uropeltis*, Kelaart, Prodromus Faunae Zeylanicae. II. 1. p. 15.
1854. *Uropeltis*, Duméril et Bibron, Erpétologie générale. p. 160.
1858. *Rhinophis*, Schlegel (ex parte), Handleiding etc. p. 33.

Cauda cylindrica, oblique truncata, parte truncata scuto magno plano scabro vestita. Scutella nasalia post rostrale conjuncta. Reliqua ut in Rhinophide.

1. **Uropeltis Philippinus**, Cuvier.

1829. *Uropeltis Philippinus*, Cuvier, l. c. p. 76; éd. illustr. Tab. 26. Fig. 2 (cauda superne).
1832. *Uropeltis Philippinus*, J. Müller, l. c. Tab. XXII. Fig. 2. 3.
1837. *Uropeltis Philippinus*, Gervais, Guér. Magasin Zoolog. Cl. III. Tab. 13.
1838. *Pseudotyphlops Philippinus*, Schlegel, Abbildungen, l. c.
1839. *Uropeltis Philippinus*, Gervais, Voyage de la Favorite. V. pag. 66. Tab. 26.
— — Dict. Univers. d'hist. natur. d'Orbigny.
1853. ? *Uropeltis Saffragamus, grandis et pardalis*, Kelaart, l. c. p. 15. 16.
1854. *Uropeltis Philippinus*, Duméril et Bibron, l. c. p. 161. Tab. 59. Fig. 2.

Uropeltidem Saffragamum, grandem et *pardalem* ex Zeylania, licet eos meis oculis nondum viderim, ad *U. Philippinum* pertinere, nullus dubito, quum Kelaartius nihil prodiderit, quod ad sexus et aetatis diversitates non referendum sit. Praeterea Cel. Güntherus, rogatu meo, delineationes *U. grandis* et *pardalis* ad me misit, quae cum icone a Duménilio in lucem edita omnino conveniunt. In *U. grandi* squamae ventrales 138, subcaudales 7, dentes maxillares utrinque 8, mandibulares 2 numeravit. In *U. grandi* et *pardali* series squamarum longitudinales medio corpore 21 obviae sunt; caudae basis squamis 18 cingitur. Schlegelius in *Uropeltide Philippino* series squamarum longitudinales 21, transversales 145 + 6, Duménilius in eodem exemplo series longitudinales 19, transversales 135, ventrales 130 et subcaudales duplices 7 numeravit.

III. **Silybura**, Gray.

1829. *Uropeltis*, Cuvier (ex parte), l. c.
1830. *Uropeltis*, Wagler (ex parte), l. c.
1832. *Uropeltis*, J. Müller (ex parte), l. c.
1838. *Pseudotyphlops*, Schlegel (ex parte), Abbildungen. p. 45.

1845. *Siluboura*[1]), Gray, Catal. of Lizards. p. 142.
1851. *Coloburus*, Duméril, Catal. méth. p. 224.
1854. *Coloburus*, Duméril et Bibron, l. c. p. 163.
1858. *Silobourà*[1]), Gray, Proceed. zool. soc. XXVI. p. 262.
1858. *Uropeltis*, Schlegel, Handleiding etc. p. 33.

Cauda cylindrica, vix compressa vel oblique truncata, ibidemque squamis carinatis spinosis vestita, apice squama carinata vel spinosa incluso. Scutella nasalia post rostrale conjuncta. Reliqua ut in Rhinophide.

1. Silybura Ceylanica.

1829. *Uropeltis Ceylanicus*, Cuvier, l. c.
1832. *Uropeltis Ceylanicus*, J. Müller, l. c. Tab XXI. Fig. 4. 5 (cranium).
1833. *Uropeltis Ceylanicus*, Cocteau, Guér. Magasin Zoolog. Cl. III. Tab. 2.
1834. *Uropeltis Ceylanicus*, Guérin, Iconographie. Cuv., Règne anim. Tab. 19. Fig. 3 (cauda).
1838. *Pseudotyphlops Ceylanicus*, Schlegel, Abbildungen etc., l. c.
1851. *Coloburus Ceylanicus*, Duméril, Catal. method. p. 224.
1854. *Coloburus Ceylanicus*, Duméril et Bibron, Erpétologie etc. p. 164. Tab. 59. Fig. 3.
1858. *Siloboura Ceylanica*, Gray, Proceed. l. c.
1858. *Uropeltis Ceylanicus*, Schlegel, Handleiding l. c.

Non vidi.

2. Silybura Ellioti, Gray.

1845. *Siluboura Ceylonicus*, Gray, Catal. of Lizards. p. 142 (exl. synonymo).
1858. *Siloboura Ellioti*, Gray, Proceedings zool. soc. Lond. XXVI. p. 262 c. fig. (cauda).

„Cauda minus truncata, disco minus distincto, apice horizontali bispinosa, squamis bi-, tri- vel quadricarinatis. Squamae colli 19-, corporis reliqui 17-seriales; ventrales 168, subcaudales duplices 11. Caudae basis squamis 10 cingitur. Squamae dorsales caudae mediae latiores. — Long. cap. 0^m,007, corporis 0^m,215, caudae 0^m,013; lat. corp. medii 0^m,007, caudae 0^m,005.“ (Doct. Güntherus in litteris.)

Transitum ad *Rhinophidem melanogastrem* et ad *Plectrurum* format.

India orientalis, Madras. Specimen unicum in Museo Britannico.

---

[1]) Nomen a σίλυβος et οὐρά derivatum scr. *Silybura*.

IV. **Plectrurus**, Duméril et Bibron.

1851. *Plectrurus*, Duméril, Catal. méth. p. 224.
1854. *Plectrurus*, Duméril et Bibron, Erpétologie etc. XII. p. 166.
1858. *Maudia et Plecturus*, Gray, Proceed. zool. soc. XXVI. p. 261. 265.

Cauda cylindrica, compressa ut in Rhinophide melanogastro, squamis carinatis vestita, apice scutello compresso aspero involuto. Scutella nasalia post rostrale conjuncta; supraorbitalia distincta.

1. Plectrurus Perrotetii, Duméril et Bibron.

1851. *Plectrurus Perrotetii*, Duméril (et Bibron), l. c.
1854. *Plectrurus Perroteti*, Duméril et Bibron, l. c. p. 167. Tab. 59. Fig. 4.
1858. *Plectrurus Perrotetti*, Gray, l. c. p. 265, cum figura (caudae).

Non vidi. Ex India orientali; Nilagiri, Madras.

Explicatio tabularum.

Tab. I. Fig. 1. Squama *Rhinophidis oxyrhynchi*.
Fig. 2. m. os maxillare superius; p. palatinum; pt. pterygoideum; tr. transversum ejusdem.
Fig. 2ᵃ. maxilla inferior *Rh. Blythii* Kelaart; d. os dentale; a. articulare; c. coronoideum; m. marginale; t. tympanicum.
Fig. 3. l. pars linguae; h. ossa hyoidea; t. trachea *Rh. oxyrhynchi*.
Fig. 4. Viscera *Rhinophides Blythii* Kelaart, fem. l. lingua; t. tr. trachea; p. pulmo; oe. oesophagus; v. ventriculus; i. intestinum; h. hepar; s. vesica fellea; q. pancreas; l. lien; g. g. g. glandulae praecordiales; c. ventriculcs, c.' atrium sinistrum, c.'' atrium dextrum cordis.
Fig. 5. Viscera *Rhinophidis oxyrhynchi* feminae. o. ovarium dextrum, o.' sinistrum, ov. oviductus; r. ren dexter, r.' sinister, r.'' ureter dexter. Literae reliquae ut in fig. 4.
Fig. 6. Cor cum vasis sanguiferis ejusdem. c. ventriculus, a. atrium dextrum, a.' sinistrum. t. truncus aorticus dexter, t.' sinister; r. r. carotides communes; tr. trachea; v. vena cava superior dextra, v.' sinistra, v.'' inferior.
Fig. 7. Vasa arteriosa corde resecto. t. truncus aorticus dexter, t.' sinister; a. aorta communicans, a.' aorta posterior, a.'' anterior.
Fig. 8. Viscera *Rhinophidis punctati* Müll. maris, e latere dorsali visa. tr. trachea; p. p. pulmo; ap. arteria pulmonalis; vp. vena pulmonalis; v. vena cava superior dextra, v.' sinistra, v.'' inferior; h. hepar.
Fig. 9. *Rhinophis planiceps*, Peters.

Tab. II. Fig. 1—1ᵉ. *Rhinophis oxyrhynchus*, Schneider Sp. Fem
Fig. 2—2ᵉ. *Rhinophis homolepis*, Hemprich. Mas.
Fig. 3—3ᵉ. *Rhinophis punctatus*, J. Müller. Mas.
Fig. 4—4ᵉ. *Rhinophis melanogaster*, Gray Sp. Mas.


Scribebam die VIII. m. Martii 1861.

Berolini, typis fratrum Unger.



J. D. L. Franz Wagner gez u lith

Druck b Gebr Delius



1. Rhinophis oxyrhynchus, [illegible] 2. Rh. homolepis, Hempr.
3. Rh. punctatus, J. Müller [illegible] 5. [illegible] Gray

[illegible] Franz Wagner gez. u. lith.